



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

Quòd vtile sit, sæpè communicare. 3

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

semper mentis renouatione , ad hoc disponere te debes, & magnum salutis mysterium , attenta cōsideratione pensare . Ita magnum , nouum , & iucundum tibi videri debet, cū celebras, aut Missam audis : ac si eodem die, Christus primū in vterum Virginis descendens, homo factus esset : aut in cruce pendens , pro salute hominum pateretur & moreretur.

## CAP. III.

*Quòd vtile sit , sèpè communicare.*

## VOX DISCIPVLI.

**E**Cce, ego ad te venio Domine, vt benè mihi sit ex munere tuo, & latificer in conuiuio sancto tuo, quod parasti in dulcedine tua pauperi *psal. 67.*  
**D**EVs. Ecce, in te est totum, quod desiderare possum & debeo ; tu salus mea, & redemptio , spes & fortitudo, decus & gloria . Latifica ergo hodie animam *psal. 85.*  
 serui tui , quoniam ad te Domine Iesu animam meam leuavi . Desidero te nunc deuotè ac reuerenter suscipere ; cupio te in domum meam inducere, quatenus cum Zachæo merear à te benedici , ac inter filios Abrahæ computari . Anima mea corpus tuum  
 con-

concupiscit, cor meum tecum vniri desiderat.

2 Trade te mihi, & sufficit. Nam preter te, nulla cōsolatio valet. Sine te esse nequeo; & sine visitatione tua, viuere non valeo. Ideoque oportet me frequenter ad te accedere, & in remedium salutis meae recipere; ne forte deficiam in via, si fuero caelesti fraudatus alimonia. Sic enim tu misericordissime

*Mat. 15* Iesu, praedicans populis, & varios curans languores, aliquando dixisti: Nolo eos ieiunos dimittere in domum suam, ne deficiant in via: Age igitur hoc mecum modo, qui te pro fidelium consolatione in Sacramento reliquisti. Tu es enim suavis refectio animae, & qui te dignè manducauerit, particeps & haeres erit aeternae gloriae. Necessarium quidem mihi est, qui tam saepe labor, & pecco, tam citò torpesco & deficio; vt per frequentes orationes & confessiones, ac fac rā tui corporis perceptionem, me renouem, mundem, & accendam; ne fortè diutiùs abstinendo, à sancto proposito defluam.

*Gen. 8.* 3 Promi enim sunt sensus hominis ad malum, ab adolescentia sua, & nisi

suc-

fuccurrat diuina medicina, labitur homo mox ad peiora. Retrahit ergo sancta Communio à malo, & confortat in bono. Si enim modò tam sæpè negligens sum & tepidus, quando cõunico aut celebros; quid fieret, si medelam non sumerem, & tam grande iuuamen non quærerem? Et licet omni die non sim aptus, nec ad celebrandum benè dispositus; dabo tamen operam, congruis temporibus diuina percipere mysteria, ac tantæ gratiæ participem me præbere. Nam hæc est vna principalis fidelis animæ consolatio, quàm diu peregrinatur à te in mortali corpore, vt sæpiùs memor Dei sui, dilectum suum deuota suscipiat mente.

4 O mira circa nos, tuæ pietatis dignatio, quod tu Domine Deus, creator & viuificator omnium spirituum, ad pauperulam dignaris venire animam, & cum tota diuinitate tua ac humanitate, eius impinguare esuriem. O felix mens & beata anima, quæ te Dominum Deum suum meretur deuotè suscipere, & in tui susceptione, spiritali gaudio repleri. O quàm magnum suscipit Dominum, quàm dilectum inducit hospiti-

hospitem, quàm iucundum recipit socium, quàm fidelem acceptat amicum, quàm speciosum & nobilem amplectitur sponsum præ omnibus dilectis, & super omnia desiderabilia amandum. Sileant à facie tua, ( dulcissime dilecte mi ) cælum & terra, & omnis ornatus eorum ; quoniam quidquid laudis habent ac decoris, ex dignatione tuæ est largitatis, nec ad decorem tui peruenient nominis, cuius sapientiæ *Pf. 145.* non est numerus.

## CAP. IIII.

*Quòd multa bona præstantur, deuotè communicantibus.*

## VOX DISCIPULI.

*Pf. 20.* I **D**omine Deus meus, præueni seruum tuum in benedictionibus dulcedinis tuæ, vt ad tuum magnificentum Sacramentum, dignè ac deuotè merear accedere. Excita cor meum in *Pf. 105.* te, & à graui torpore exue me. Visita me in salutari tuo, ad gustandum in spiritu suauitatē tuam, quæ in hoc Sacramento tamquam in fonte, plenariè latet. Illumina quoque oculos meos, ad intuendum tantum mysterium : &  
ad